

1733

A S C E T I C I.

1734

DCCXXIII.

R. 3290

Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 254. f. per duas columnas bene scriptus et rubricis distinctus praemisso Caputum et Rerum Elencho continet Opus de Officio Sacerdotis divisum in III. Libros, quorum I. agit de Fide, Caritate, Iustitia et Temperantia, II. de Vitiis contrariis praedictis virtutibus, III. de septem Sacramentis ecclesiasticis, ut ait in Prologo Autor ipse *F. Albertus de Brixia* O. P. ubi addit, se omnia compilasse ex libris et questionibus et tractatibus *F. Thomae de Aquino*. Libri porro in Tractatus, et hi abeunt in Capita. Compilationem hanc Asceticam typis nunquam vulgatam fuisse puto. Vixit Autor nomine gentili *Mandugasinus* initio Sec. XIV. aguntque de eo Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 526. Prologus ejus infit: *Quoniam, ut ait Jeronimus sacerdotis officium est respondere de lege &c. et infra: In hoc autem libro, qui de officio sacerdotis appellatur &c.* Non igitur *Summam Casuum Conscientiae* dictum voluit Autor, qua adpellatione inducti quidam, ut e *Possentino Fabricius*, Opera duo ex uno commenti sunt. Ad calcem nos legimus: *Istud opusculum comparavit Fr. Johannes Trenbeckeb professus Monasterij in Mäunsee (Lunaelacensis) nec non Plebanus ibidem Domino Jacobo venerabili Abbate Mon. antedicti. Sub Anno Domini M^o. CCCC^{mo}. XI^{mo}. in Vigilia Sancte Brigide virginis. Hic*

Johannes a. 1416. successit *Jacobo*, ut habes in *Chronico Lunaelac.* p. 197.

Fol. 249. p. 2. Nota quod infrascripte sunt peregrinationes totius terre sancte que a modernis peregrinis pronunc visitantur. Videlicet a Japha usque Jerusalem. Ciuitatis sancte Jerusalem. Intra Ciuitatem extra templum. Vallis Josaphat. Montis Oliueti. Vallis Syloe. Montis Syon. Bethlehem. Bethanie. Fluminis Jordanis. Montana Judae. Vallis Judae. Nazareth. Urbium aliarum. Loca que communiter non visitantur. Montis Synay. Egipti. Ubique indicantur Memorabilia, et loca, quibus plena noxarum venia adfixa esset, cruce notantur.

Fol. ult. p. 2. adscripta est Bulla Leonis VIII. data Eremito B. V. M. in Helvetia, vulgo Einsiedel Ord. S. Bened. quae incipit: Convenit apostolico moderamini &c. et legitur in Cph. Hartmanni Annalib. Heremi Deiparae &c. Frib. Brig. 1612. p. 71. f Noli vero notis chronicis Codicis nostri fidere, cui Leo est Papa 36. pro 136. Bulla data est anno 469. pro 964. et sola Indictio 7. sincera.

DCCXXIV.

Codex chartaceus lat. germ. R. 2150 Sec. XV. et seqq. 4. Scripta varia temere compilata continet, quorum haec ratio: I. *Regula Sacerdotum*. Init: *Multi sunt sacerdotes religiosorum regulas deridentes nec se regulam habere putantes*